

42 NW. 167  
/ Perillustris, et Reverendissime Domine frater. Ago Deo gratias, quod si naviculam tuam istio magnis fluctibus iactari permittit, providit quoque illi magnae sapientiae, et fortitudinis nauclerum. Talem enim esse Amplitudinem vestram sollicitudo illa  
5 testatur, que et in relatione de statu ecclesiae ad Sedem Apostolicam missa, et in litteris ad me datis perspicue cernitur. Eandem sollicitudinem conservandi gregis dominici, et lupos ab eo longius arcendi, quam Dei gratia in pectore Amplitudinis vestrae inserit, et fovet, testatissimum mihi facit Reverendus Dominus Dionysius  
10 Christophorus, meus olim familiaris, nunc vero carissimus amicus. Utinam per continuas occupationes suas liceret Sanctissimo Patri nostro Paulo Quinto Summo Pontifici, vel relationem huc missam legere, vel ipsum eundem Dominum Dionysium<sup>m</sup> omnia referentem audire: commoveretur sine dubio animus eius ad compatiendum, et ex ea com-  
15 miseratione ad opem ferendam. Ego negocia Amplitudinis vestrae vel cum cardinalibus deputatis promovere non omittam; ipsum etiam Dominum Dionysium vel opera, vel consilio adiuvabo. Valeat Amplitudo vestra Reverendissima, et a principe pastorum coronam gloriae non vulgarem pro tot suis laboribus expectet. Romae 1607.